



Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator
communiter resurget ad justitiam.**

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 8. Quae olim vocabatur paenitentia parva, jam vacaretur maxima: ista
emin sonant comparativè ad morem assueteum aut ab aliis practicatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

§. VIII.

*Quæ olim vocabatur pœnitentia parva , jam va-
caretur maxima : ista enim sonant compa-
rativè ad morem assuetum aut ab aliis
practicatum.*

ITaque ut nunc ejus verba recipiam,
dicit : *Si fascem super humeros adolescen-
tis , quam non potest bajulare , posueris ; necesse
habet , ut aut fascem rejiciat aut sub pondere con-
fringatur : sic & homini cui grave pondus pœni-
tentia ponis , necesse est ut aut pœnitentiam tuam
rejiciat , aut suscipiens , dum sufferre non potest
scandalizatus amplius peccet.*

Procul dubio pœnitentium vires me-
tiendæ sunt , illisquè quantum spiritus &
prudentia suggerit , pœnitentiæ onus at-
temperandum , non enim *commiffura panni*
rudis in vestimentum vetus immittenda est , ne-
que ab imperfectis exigendum , cui per-
solvendo vix perfecti sufficiunt . Zelum
proindè Dei necesse est habeat Confessa-
rius , sed secundum scientiam : zelum
Dei , inquam , ut quem habet pœniten-
tem , liberare cupiat & salvare ; sed secun-
dum scientiam , ut noverit quid ei injungi
conducat , quantum ejus imbecillitati ex-
pediat condescendere : nam revera , ut

R

notat

bus vi-
ino au-
vissimo
, quæ
ti , nisi
hum-
spiritus,
relaxa-
nymus,
Borith,
ion po-
mentis:
soft ho-
as , in-
diter de
i sanum
s redar-
n parte
z pœni-
modum
ò minu-
io, pœ-
modica
rum re-

.VIII.

Serm. 3. de notat Bernardus , indiscreta religio ma-
S. Andrea. gis obesse solet , quām prodeesse.

Sed aliud est , cum id pœnitentium postulat infirmitas , aliquid rigori detrahere , & aliud debitæ satisfactionis modum tantūm non tollere. Utrumque considerat prudens zelus : novit compati , sed & studet voluntariâ præteriorum peccatorum vindictâ & castigatione per pœnitentes divinæ justitiæ , sicut id ipsa exigit , satisfieri : maximè verò cavet , ut non , quos servare cupit , & à peccatis liberare , nimiâ remissione majorem ipsis peccandi fomitem subministret. Propter quod non sic ipsis indulget aut pœnitentias relaxat , ut hinc parvi reputent , & per hoc aut commissam minus defleant , aut committendam minus sollicitè fugiant , mortalis delicti offensam. Quos item conspicit interiori adhuc animi morbo ægros , non obsequiis decipientibus fallit , ut necessaria ipsis , licet id optent aut flagitant , substrahat remedia , piè subinde non parcit medicus ; nec audit vociferantem , clamantem , imo nonnihil & indignantem , ut eum post recipiat , cum sanatus fuerit , pro medela gratias agenter.

§. IX.